N. 2479.

CURRENDA XIII.

A. D. 1860.

L. præs. 125.

Allocutio SS. Papae Pii IX habita in Consistorio secreto Romæ die 13. Jul. 1860. intuitu calamitatum, quibus Ecclesia in Italia premitur.

„Venerabiles Fratres!“

„Omnibus notum planeque perspectum est, Venerabiles Fratres! acerbissimum bellum contra catholicam Ecclesiam calamitosis hisce temporibus a tenebrarum filiis excitatum. Siquidem ipsi diabolica prorsus malitia animati „dicentes malum bonum, et bonum malum, ac ponentes tenebras lucem et lucem tenebras“ (1) pravis quibusque molitionibus eamdem Ecclesiam, ejusque salutarem doctrinam, si fieri unquam posset, funditus evertere, omnesque christianae fidei virtutisque, et ipsius naturalis legis, justitiae, honestatis, probitatisque sensus exstinguere, et radicitus extirpare conantur. Nemo autem ignorat, quam infelix et omnino luctuosus nunc sit in Italia sanctissimae nostrae religionis status nefaria eorumdem hominum conspiratione et opera, qui ambulantes secundum desideria sua in impietatibus et alienati a via Dei religionem ipsam, sacraque omnia oppugnare ac prosternere contendunt. Itaque incredibili animi Nostri dolore deplorare cogimur nova et semper gravissima vulnera, quae ab injustis legitimae potestatis in Italia usurpatoribus Apostolicae Nostrae auctoritati, catholicae Ecclesiae, ejusque sacris ministris, rebus ac juribus quotidie illata sunt et inferuntur. In variis enim Italiæ regionibus Subalpinae ditioni injuste subjectis publicae institutae sunt scholae, in quibus cum maximo animarum detrimento erronea quaevis, falsa ac depravata doctrina catholicae Ecclesiae omnino adversa palam publiceque traditur, et ipsa oppugnatur Ecclesia. Omnes autem norunt innumera fere opuscula, ephemerides et scripta tum in Italia, tum alibi ex satanae officinis ad exitium et perniciem emissa, ac turpissimis, abominandisque imaginibus edita, quibus inplacabiles isti religionis hostes, ac peritissimi scelerum et fraudum artifices sacrosancta ipsius religionis mysteria, praecepta, ac veneranda Ecclesiae instituta, ejusque leges ac censuras contemnere, irridere, omniumque animos corrumpere, et a cultu catholico avellere, ac dissolutam vivendi licentiam, et abnormem usquequaque impietatem fovere, inducere, ac sacros Ministros et Christi hic in terris Vicarium omnibus injuriis, calumniis, conviciisque proscindere, et legitimae cujusque potestatis imperium labefactare, ac tum Ecclesiae, tum civilis societatis excidium procurare adnituntur.

Atque hi lucis et veritatis osores minime dubitant violentas, sacrilegasque eorum manus sacris Ecclesiae ministris et patrimonio injicere. Postquam enim Subalpinum Gubernium Parmensis et Placentini Ducatus dominium usurpavit, die decimanona proximi mensis Aprilis Monachos Ordinis S. Benedicti in Parmensi S. Joannis Evangelistae Coenobio commorantes

(1) Is. 5. 20.

inique expulit, omniaque illorum bona sibi vindicavit. Decreto autem die decima praeteriti mensis Maji edito Clericorum Placentiae Seminarium claudendum praescripsit, ut Placentinum ulcisceretur Episcopum, qui merito se abstinuit a sacris peragendis caeremoniis, quae a civili praecipiebantur potestate. Ac deinde idem vigilantissimus Episcopus fuit comprehensus, atque a sua Dioecesi abreptus, et Augustam Taurinorum deductus, ac tum carcere, tum pecunia damnatus; quas poenas etiam subiere ipsius Episcopi Vicarius Generalis, et nonnulli Placentini Canonici. Atque eadem de causa tum in usurpatis Nostris Aemiliae provinciis, tum in aliis locis injustae Subalpinae dominationi potissimum subditis plures egregii Venerabiles Fratres Episcopi, et ecclesiastici Viri, ac Religiosarum Familiarum Alumni per summam injuriam vehementer vexati, ac durissimae inquisitioni obnoxii, quorum non pauci etiam deprehensi, et vel in exilium exacti, vel in vincula conjecti. Hinc Pro-Vicarius Bononiensis de sui Cardinalis Archiepiscopi eo ipso tempore, quo animam agebat, latere divulsus, et in carcerem missus, ac deinde tum pecunia, tum carcere multatus. Ubi vero clarissimus ille Archiepiscopus ex hac vita migravit, Archiepiscopatus Bononiensis bona ejusdem Gubernii administrationi statim subjecta fuerunt. Hinc ab ipso Gubernio Venerabilis Frater pientissimus Faventiae Episcopus primum militari custodia in suis aedibus septus, proptereaquod gravi conflictatus morbo in carcerem contrudi minime potuerit, ac postea carcere et pecunia damnatus. Hinc spectatissimi vestri Collegae Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales Archiepiscopus Pisanus militari manu comprehensus, a suo grege avulsus, et Augustam Taurinorum traductus, et Forocorneliensis Antistes suis in aedibus militari custodia detentus, ac Ferrariensium Archiepiscopus variis modis exagitatus.

Nota vero sunt gravissima damna, quae in Sicilia perditorum hominum opera, legitimi Principis regno perturbato, religio ejusque ministri nuper perpessi sunt. Etenim inter alia duo Religiosi Ordines de re christiana optime meriti fuere sublati, eorumque Alumni exulare coacti. Ac vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod ibi nonnulli ex Clero reperti fuerint, qui nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, minime erubuerunt cum summo bonorum omnium scandalo et fremitu suam operam Ecclesiae et omnis justitiae inimicis praestare, illisque favere. In usurpatis autem Nostris provinciis plures Dioeceses cum maximo fidelium discrimine sunt suis orbatae pastoribus, cum hi, ob adjectas ab illegitima potestate conditiones, illas attingere minime possint. Atque id inter alia manifestissime ostendit, quo potissimum ii homines spectent, qui nequissimis et sacrilegis ausibus civilem Romani Pontificis, et hujus Apostolicae Sedis principatum usurpare ac diruere exoptant, ut scilicet civili ejusdem Pontificis et Sedis potestate et majestate depressa et eversa, catholicam Ecclesiam facilius oppugnare queant. Omittimus vero tot alia id genus ausa recensere, quibus Ecclesiam, sacrosque Ministros isti homines tantopere affligunt, divexant, dum perfida sane nequitia omnium libertatem dolosis fraudulentisque modis ubique praedicare et extollere non cessant.

Quae quidem omnia gravia facinora cum summa bonorum omnium indignatione ac luctu peracta quantam Ecclesiae, quantam Nobis, et Apostolicae Nostrae auctoritati, et huic Sanctae Sedi, Vestroque Ordini, et Episcopali dignitati, universoque Clero injuriam, violentiam et contumeliam afferant, optime intelligitis, Venerabiles Fratres!

In tanta vero acerbitate non levi afficimur gaudio, cum videamus, qua insigni sane fide, patientia et constantia commemorati tum Dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, tum Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites summa cum eorum nominis laude omnes aerumnas, calamitatesque sine ulla justa causa sibi illatas tolerare, et Ecclesiæ justitiaeque causam strenue defendere glorientur, et cum simul noscamus, qua firmitate, paucis exceptis, Italiae Clerus omni commendatione dignus, suae vocationis et officii memor illustribus suorum Antistitum vestigiis insistat, omnesque perferat molestias, vexationes, suoque munere egregie fungatur.

Dum autem intimo moerore conficimur, Apostolici Nostri muneris probe memores nunquam desistemus divino auxilio suffulti Ecclesiae causam Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissam omni studio, totisque viribus impavide propugnare. Quamobrem in hoc amplissimo Vestro consessu, et coram universo catholico orbe Nostram attollentes vocem tam tristia, et nunquam satis deploranda facta omnino reprobamus, damnamus, ac majore, qua possumus, animi Nostri contentione ecclesiasticam immunitatem violatam, Cardinalitiam et Episcopalem Dignitatem despectam, ecclesiasticum ordinem afflictum, et omnia Ecclesiae, atque hujus Apostolicae Sedis jura proculcata etiam atque etiam reclamamus, et reclamare nunquam desinemus.

Verum in hac tanta temporum rerumque conversione, in hac tanta Ecclesiae oppugnatione, omniumque divinorum, humanorumque jurium conculcatione, et Sacerdotii contemptu non concidamus animo, Venerabiles Fratres! Caelum enim et terra transibunt, verba autem promissionesque Domini non praeteribunt, ac, veluti apprime nostis, florentissima imperia, regna, nationes, urbes et regiones dissipari, deleri et corruere possunt, sed Ecclesia a Christo Domino fundata, et omnipotenti Ejus virtute continenter sustentata et illustrata nullo unquam modo convelli et labefactari potest, et persecutionibus non vincitur, non imminuitur, sed augetur, novisque semper ac splendidioribus exornatur triumphis. „Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat, cum laeditur, tunc intelligatur, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur" (1).

Ne intermittamus autem in omni fide, spe, et humilitate cordis dies noctesque ardentiori usque studio misericordiarum Deum orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi velit omnium praevaricantium propitius misereri, eosque caelesti sua gratia perfundere, illustrare, atque ad se convertere, reducere, utque, omnibus profligatis erroribus, omnibusque amotis iniquitatibus, divina sua religio, ejusque salutaris doctrina, quae ad temporalem quoque regnorum populorumque felicitatem et tranquillitatem tantopere conducit, quotidie magis ubique terrarum vigeat, floreat ac dominetur.

Atque hic sermonem Nostrum ad omnes Venerabiles Fratres! totius catholici orbis Sacrarum Antistites intimo cordis affectu convertentes, ipsis, et fidelibus eorum curae traditis iterum vel maxime gratulamur de eximia eorum erga Nos, et hanc Petri Cathedram fide, amore et observantia, ac simul gratissimi animi Nostri sensus iisdem Venerabilibus Fratribus et fidelibus palam publiceque profitemur ob mira sane studia, quibus Nostras angustias modis omnibus sublevare non desinunt. Nihil vero dubitamus, quin iidem Venerabiles Fratres! pro egregia, qua maxime praestant, religione, pietate ac sacerdotali zelo pergant majore usque

---

(1) S. Hilar. de Trinit. lib. 7. c. 4.

alacritate et *opera* una cum *fidelibus* sibi commissis Ecclesiae et hujus *Apostolicae Sedis causam* constanter *defendere*, ac *ferventissimis* suis, suorumque fidelium *precibus adire* cum fiducia una Nobiscum ad Thronum gratiae, ac potentissimum Immaculatae Sanctissimaeq. Dei Genetricis Virginis Mariae patrocinium implorare, ut, tam magna tamque turbulenta tempestate depulsa, et Catholica Ecclesia optatissimam assequatur pacem, ac sua ubique libertate fruatur, et omnes a veritatis ac justitiae via aberrantes redeant ad cor, et convertantur ad Deum, ac declinantes a malo, et facientes bonum incedant per semitas Domini."

E tenore hujus Allucutionis Venerabiles in Xto Fratres! sufficientem capere valetis convictionem, quanta malorum osores Ecclesiae in Italia moliantur adversus eam; et rursus ex Ephemeridibus hausistis tristissimam notiam de crudelissima Christianorum in Syria persecutione ex parte infensissimorum Religioni Catholicae Drusorum atque Turcarum... de tot jam trucidatis Xtianis; imo Sacerdotibus; de tot templis, monasteriis, pagis ac eorum urbibus devastatis deletisve.

Quoniam Pater misericordiarum in Italia Christianos contra Christianos, et in Asia infideles adversus fideles saevire patiatur; quoniam vero Dominus noster Jesus Christus procellas cunctas a fidelibus suis propulsare semper paratus sit, dummodo mundo, corde et labiis, manibusq. impollutis accedamus ad thronum gratiae, iterum atq. iterum Dilectissimi in Christo Fratres! preces a Se publicatas cum populo fideli fervidas fundere pergatis, simulq. Collectas jam pro Papa, jam pro Ecclesia, in Missa festo I. et II. Clas. non impedita, assummatis, ut tandem aliquando Majestatem divinam pro pace Ipsi tantopere necessaria ac Nobis cunctis desideratissima elargienda flectere valeamus.

Dabamus in Palatio Eppali. Tarnoviae 9. Augusti 1860.

P. S. Recte finita exhortatione praemissa, conspeximus in Ephemeridibus articulum Vien. 6. Aug. a. c. referentem de Encyclica, quam Sanctis. Papa Pius IX. in sequelam Interpellationis Episcoporum Syriae ad Se datae emiserat. Ejus tenor, quem communicare hisce properamus, sequens esse dicitur, quod videlicet Vigilantissimus totius Orbis Catholici Pater amare conqueratur de jugulatione tot Millium inter Maronitas cum Ecclesia nostra junctos; stuperem horrendum exprimat super tyrannide Osmannica, collaudet celerem Gallorum Classis pro ferendo auxilio adventum; porro interpellet Imperatorem Franciae ad reprimendam tam nefandam infidelium exorbitantiam, profligandosq. Religionis, moralitatis, justitiae, ordinisve legalis hostes....

N. prez. 106.

Roczne sprawozdanie o stowarzyszeniu wzajemnych modłów.

Według ostatniego sprawozdania o stowarzyszeniu kapłanów wzajemnych modłów o szczęśliwą godzinę śmierci, umieszczonem w kurrendzie XII. z r. 859. N. 2640/150 str. 89 składało się rzeczone stowarzyszenie z 263 kapłanów.

W przeciągu upłynionego roku umarło z towarzyszenia 3 kapłanów, których imiona i nazwiska członkom stowarzyszenia przy życiu zostającym kwoli odprawienia po 1 Mszy ś. za każdego w Bogu zmarłego, do wiadomości w czasie odpowiednim podane były. Przybyło zaś do stowarzyszenia do dnia poniżej wyrażonego 15 kapłanów, pomnożyło się więc stowarzyszenie o 12 członkom i składa się obecnie z 275 kapłanów.

Przyjęci zostali do stowarzyszenia następujący kapłani: JXX. 1. Bogdalik Bartłomiej, Dziekan i Pleban z Czarnegodunajca. 2. Jaworek Antoni, Wikary z Jurkowa. 3. Klimaszewski Dionizy, Poddziekani i Pleban z Jurkowa. 4. Manasterski Franciszek, Deficyent

z Ryglic. 5. Morongfi Jan, Pleban z Trzemeśni. 6. Plewiński Jan, Pleban z Witanowic. 7. Pociłowski Tomasz, Pleban z Brzozowy. 8. Popiel Klemens, Dziekan i Pleban z Czermina. 9. Rozmus Michał, Wikary z Ryglic. 10. Sapada Antoni, Pleban z Gromika. 11. Swiba Jozef, Wikary z Podgorza. 12. Świderski Błażéj, Pleban z Borowy. 13. Świetliński Wicenty, Pleban z starego Wiśnicza. 14. Wciślak Wojciech, Wikary z Ślemienia. 15. Wróbel Piotr, Expozyt z Krzeszowa. Odwołujemy się i tą razą do odezwy Naszéj z d. 21 lutego 1854. N. 971 w kurrend. II. mocą któréj stowarzyszenie w mowie będące w Dyecezyi zaprowadziliśmy, aby ją Przew. kapłani do stowarzyszenia jeszcze nie należący odczytać, zbawiennym stowarzyszenia celem przejąć się i wrazie skłonienia się do przystąpienia do stowarzyszenia według tejże odezwy swe podania przedłożyć Nam chcieli.

Z Prezydium Biskupiego w Tarnowie d. 31. Maja 1860.

N. 1853.

Apochæ super censu a Capitalibus publicis juxta præscripta exaratæ et sigillo esiæ provisæ sint oportet.

Exc. Regimen Cracov. sub 12. Maji a. c. N. 13403. Consistorio hujati intimavit alti Ministerii Cultus &c. Decretum de 24. April. a. c. N. 5607. quod vigore Decreti Alti Ministerii financ. de 2. Apr. a. c. N. 13513 exsolutio census a Capitalibus publicis alicujus ecclesiæ in C. R. Cassis semper subsequetur, dummodo apochæ desuper a Præposito esiæ juxta praescripta exaratae nec non sigillo esiae provisæ fuerint... (daß in Hinkunft die Auszahlung der Interessen von öffentlichen Obligationen, die ein Kirchengut bilden und als solches vinkulirt sind, gegen Quittungen erfolgen werde, welche von dem Vorsteher der Kirche, oder kirchlichen Pfründe, zu deren freien oder belasteten Eigenthume solche Obligationen gehören, vorschriftmäßig ausgestellt und mit dem Sigille der betreffenden Kirche oder Pfründe bestättiget sind.) de quo Cassæ publicæ sub uno per A. Minist. financ. informatae sunt. Hoc pro notitia et directione.

E ses. 31. Maji 1860.

N. 1201.

Ordinationes intuitu Missarum e fundo religionis restantium indicandarum, denuo in memoriam revocantur; revisio decanalis inculcatur, confectio Consignationis Presbyterorum e fundo relig. participantium commendatur &.&.

Jam Ordinatione Consistoriali de 6. Jun. 1825, N. 846. porro de 14. Aug. 1830 N. 1367, item in Notificatione II. ex A. 1848 sub N. 1304 non minus, quam in Currenda X. ex 1857 sub N. 2993, nec non in Cur. II. ex A. 1859 sub N. 2873 aliisq. occasionibus *accumulatio Missarum* praeprimis e fundo religionis ex occasione vacantiae aut beneficii aut Cooperaturae Missis fundi relig. ob additamentum aut totum solarium onustae restantium serio prohibita, simulq. ordinatio severa emissa erat, quatenus restantes e vacantia praefixo termino consignarentur, atq. Consistorio deferrentur, ut Exc. Regimini pro assignatione earum aliis e fundo religionis participantibus Presbyteris indicarentur. Quum Ordinationem longiorem

de variis gravioris momenti quoad Missas non accumulandas &c. in Cur. II. ex A. e. N. 2873 relegendam imponamus, illam ex A. 1848 sub N. 1304, ad verbum heic reimprimendam esse censemus, quae ita sonat: „N. 1304. *Missae fundi relig. restantes Consistorio indicandae.* Sæpenumero Cooperaturae e fundo Relig. e toto vel e parte dotatæ, quibus missæ e fundo Religion. adhærent, per brevius aut longius tempus vacant, sub quo vacantiæ tempore missæ illæ haud persolvuntur, et nihilominus Consistorio qua restantes raro indicantur. Ne igitur fundatores pii suffragiis quæstionis in posterum priventur, ordinandum esse censemus, ut singuli Rectores Ecclesiarum, sive Curatus, sive Administrator in casu substrato, quamprimum novus cooperator post vacantiam ejusmodi appulerit, missæ sub tempore hujus non persolutæ, Consistorio pro ulteriori muneris functione exhibeantur.

Insuper pro præterito expostulamus, quatenus Curati vel administratores librum impletarum obligationum sedulo percurrant, et quotquot restantes e variis vacantiis detexerint missas, eas consignent, et consignatas horsum promoveant.

Quodsi quis penes ejusmodi Ecclesiam, ubi parochus quoque missis e fundo Relig. onustus est, administrationem suscipit, vix commemorandum esse opinamur, administratori tunc temporis incumbere officium, tum missas has, tum alias ibidem fundatas, rite persolvendi, et libro præscripto inserendi.

Si autem administrator fundatas missas cunctas, ob multitudinem earum absolvere haud valeret, relationem desuper Consistorio pro ferenda medela praestare haud negligat.“

Salubribus his Provocationibus plurimi quidem obtemperasse noscuntur; attamen pro dolor! nuperrime detecti sunt Curati in L. B. et P. qui cæteroquin in aliis zelosi, illas Ordinationes neglexerant. In L. existit philura buch. cum 52 Missis e fundo Relig. pro Cooperatore ab A. 1830, ast praesens Curatus novus non detecta persolutionis Missarum praenotatione, adigitur a Consistorio conficere Consignationem Cooperatorum ab A. 1830, cum spatio temporis eorum in L. applicationis, et e parte Consistorii Cooperatores ab A. 1830 superviventes, in Diœcesi dispersi, de persolutione Missarum quaest. pro ratha temporis interrogandi veniunt; rursus in B. a plurimis retro annis 2 tantum Cooperatores per aliquot menses munia obibant, adeoq. sub vacantia cooperaturæ longissimae, Missæ restantes ad ingentem accreverant numerum, quin Curatus respectivus eas ab anno ad annum Consistorio indicasset; aut a translatis Cooperatoribus prænotationem persolutarum exegisset... demum in P. idem ferme casus acciderat, et ni ambo præcitati Parochi abhinc ad existentem philuram et relationem incumbentem attenti fuissent redditi... sensim et philuræ Missarum evanuissent. Ejusmodi neglectus in se involvit obligationem et pro resp. Decanis, qui sub Visitatione revisionem relationemve neglexerant, ac pro Parochis, qui librum persolvendarum missarum ac prænotationem haud curaverant,... Missas non solum restantes persolvendi, verum etiam plures e titulo *restitutionis* seu *indemnisationis jacturae*, quam pii fundatores per tot decennia nefors in suffragiis seu in Sacrificiis incruentis passi sunt.

Mœrore ob ejusmodi hocce adhuc sæculo neglectum confecti, iterum atq. iterum Perillustres Decanos ad sedulam libri prænotationis sub Visitatione trutinationem, ast Curatos et Cooperatores ad punctualem Missarum persolutarum prænotationem hisce obstringimus...

atq. obtestamur ad relationem de omni Missarum ejusmodi restantia, præfixo termino exhibendam. Adm. R. Decani præterea *consignationem* cunctorum Presbyterorum e fundo relig. participantium pro suo Archivo adornabunt juxta rubricas philurae cujuslibet Missarum (des Meßbedeckungsbogens oder des Meßausweises) et juxta parochias *ordine alphabetico*... eamq. sub Visitatione Decanali pro capienda adæquata notitia secum vehent..... invigilabuntq. ut penes quamlibet Esiam *liber prænotationis* Missarum absolutarum adsit; nec non curam gerent ulteriorem circa relationes de restantiis præstandas... omnem vero neglectum carpent, et si in cassum, medelam a Nobis expetent.

Festo VII dolorum B. M. V. 1860.

N. 2141.

Quæ Missa et a quo... diebus Dom. et festis vigentibus aut ablatis pro parochianis applicanda.

Communiter viget opinio, quod die Dni aut festo Missa *summa*, ubi plures Presbyteri sunt constituti, aut ubi sub Indulgentiis celebrans pro summa invitatur, applicanda sit pro parochianis vivis atq. defunctis, quodq. tunc Parochus liberatus sit ab officio, diebus his Dom. et festis vigentibus sive abolitis pro ipsis applicandi Missam suam. Verum hæc opinio refutatur in Currenda IX. ex A. 1858 sub N. 2065, juxta quam vi decisionis S. C. R. et Encyclicæ pontif. de 3. Maji 1858. Parochus *ipsemet* vel Administrator, nulla canonica causa e. g. morbo impeditus obligatur Missam suam, sive illa sit lecta, sivec antata, applicandi pro populo sibi a Deo commisso... adeoq. Curatus quamvis Celebrans aut Summista Cooperator pro populo ejus ex devotione aut gratitudine Summam applicaret, non potest se liberum declarare ab officio, de quo loquimur. Hoc pro ulteriori norma. Tarnoviae 27. Jun. 1860.

N. 2231.

Quaedam de Rubri necessitate ac qualitate &c.

1) *De rubri necessitate.* Rubrum in petitis, responsis &c. bene concinnatum.., jam Præsidi, jam Protocollistæ et Referenti, primo obtutu supeditat notitiam de negotii argumento, de dato ac numero... quin huic illive interim opus sit, ut totum interiorem contextum percurreret et tempus inaniter consummeret.

2) *De qualitate ejus.* Ut autem Rubrum isthoc emolumentum prastet, post expositum plenum in superiore tergi parte titulum Instantiae, ad quam negotium dirigitur, in medio circiter exponat nomen et cognomen &c supplicantis aut Referentis, sive officium, statim adjectum habeat datum et numerum causæ, atq. numerum Provocationis, si quæ antecesserat... ac relicto spatio aliquot pollicum (cali) vacuo, breviter, ad dexteram magis, exhibeat synopsin negotii... Si Nrus provocationis præviæ haud Rubro inseritur, Protocollista ipsum *intus*, in contextu, cum dipondio temporis exquirere cogitur. Caveant Perillustres Decani in hac rubri parte superiori datum et numerum suum apponere in exhibitis a suis resp. Condecanalibus receptis, ne hisce occupetur locus, qui vacuus sit oportet pro opponendo dato præsent. et Nr. protocolli...

3) *De obligatione adscribendi rubrum.* Rubrum, ut quotannis inculcatur, semper apponatur petitis, relationibus, responsis... de quibus supponendum venit, ea ad alias Instantias abhinc promotum, aut secus indorsaliter eliberatum iri.

Quodsi resp. Decanus a Condecanali recipiat Exhibitum, de quo ominandum est, isthoc Relationi Coali qua allegatum inserviturum, assumat philuram separatam pro concomitatione ad Nos, rubro competenti instructam; nec præsumat tunc concomitationem *intus* adscribere, quia Nos sæpenumero ibidem Nostram apponimus concomitationem... Si ipsemet Parochus aut Administrator &c. immediate ad Nos dirigeret negotium Exc. Regimini &c. anteponendum, tunc quoq. aliam adjiciat philuram cum concomitatione et rubro.

Hæc concomitatio eum in finem expostulatur, ut aut illico, aut serius, levissima methodo respectivi de gressibus abhinc susceptis ac de necessitate post aliquot menses si urgeret, negotium coram Nobis resuscitandi, informari queant.

Penes hanc occasionem adhuc addendum esse censemus hoc, ut cuncta petita, responsa, ad Instantias politicas, linqua *germanica* aut saltem *polonica*, pro meliori captu, exarata sint; concomitationes supra attactæ possunt adornari *linqua Curiæ* seu *latina*.

N. 2142.

Necessitas gerendi accurate protocollon gestionis conservandiq. ex anterioribus annis cuncta.

Protocolla gestionis, *Decanal. parochial. scholar. nosocomial.* ubiq. dudum præscripta, breviter præ oculis ponunt continuam seriem negotiorum, quæ aut impræsentiarum inter varias partes vel in loco aguntur, aut quæ tempore anteriore gesta erant. In eis omni tempore invenies, relationes, petitionesve ad varia Subsellia expeditas, ac resolutiones desuper; item Requisitiones a variis Instantiis et Eliberationes desuper; Notificationes jam a Consistorio in Currendis, jam a variis Officiis politicis emissas; materiam Currendarum, testimoniorum, processuum,.. succincte adnotatam... Quum gestionis protocolla tot et sæpe tanti momenti negotia breviter exhibeant, quis necessitatem ea stricte gerendi seduloq. etiam a tempore introductionis conservandi non agnoscet, et haud dolebit, quod non existunt penes quamlibet ecclesiam a tempore erectionis?! Et nihilominus penes hanc illamve ecclesiam Rectores animarum novi conqueruntur, quod ex anterioribus annis nullum receperint gestionis protocollon quodq. sub Administratione evanuerit et s. p. ac modo destituantur adminiculo resciendi statum aut sortem variorum negotiorum... Quis hujus defectus causa censendus? Utrum resp. Decanus, num Administrator, an alius interessatus?!

Quisquis demum auctor sit, hoc manet inconcussum, ut cuncti, qui ex munere suo tenentur integritati librorum præscriptorum invigilare, monendi veniant, moneanturq. per præsentes ad vigilantiam hoc in obtutu summopere necessariam; obstringanturq. neo-Curati, quatenus penes traditionem Cancellariæ protocollon gestionis exigant, et non receptum reclament; etiam casu necessitatis rem ad Nos deferant. Tarnoviæ 1. Jun. 1860.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 14. Augusti 1860.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.